

Gesualdo Responsories (6 Voices)

IMPORTANT NOTE

Gesualdo wrote responsories for three days; Maundy Thursday, Good Friday and Holy Saturday. In concerts we perform the music for any one of these days, together with plainsong antiphons and, if wanted, Gesualdo's Miserere and/or Benedictus.

The following programme is given as an example only. Please discuss your requirements with us.

Each programme is without an interval and lasts between 65 and 75 minutes approximately.

SAMPLE PROGRAMME - Gesualdo Responsories for Holy Saturday

Antiphon (chant) Mulieres sedentes ad monumentum

Gesualdo - Benedictus Dominus

Lesson 1, (chant) - Heth, Teth, Iod.

Gesualdo - Responsories - Sicut ovis - Ierusalem surge - Plange quasi virgo

Lesson 2, (chant) - Aleph, Beth, Ghimel, Daleth, He, Vau.

Gesualdo - Responsories - Recessit pastor noster - O vos omnes - Ecce quomodo moritur iustus

Lesson 3, (chant) - Oratio Ieremiae

Gesualdo - Responsories - Astiterunt reges - Aestimatus sum - Sepulto Domino

Gesualdo - Miserere mei, Deus

Kyrie: Christus Dominus (chant)

Texts

Maundy Thursday

Lesson 1

Incipit Lamentatio Ieremiae Prophetae.

ALEPH

Quomodo sedet sola civitas plena populo:

Facta est quasi vidua domina Gentium:

Princeps provinciarum facta est sub tributo.

BETH

Plorans ploravit in nocte, et lacrimae eius in maxillis eius:

Non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius:

Omnes amici eius spreverunt eam, et facti sunt ei inimici

GHIMEL

Migravit Iudas propter afflictionem, et multitudinem servitutis:

Habitavit inter gentes, nec invenit requiem:

Omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.

DALETH

Viae Sion lugent eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem:

Omnes portae eius destructae: sacerdotes eius gementes:

Virgines eius squalidae, et ipsa oppressa amaritudine.

HE

Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt:

Quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius:

Parvuli eius ducti sunt in captivitatem, ante faciem tribulantis.

Ierusalem, Ierusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

Responsory 1

In monte oliveti oravit ad Patrem: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, fiat voluntas tua.

V: Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.

Responsory 2

Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, et vigilate mecum: nunc videbitis turbam, quae circumdabit me: Vos fugam capietis, et ego vadam immolari pro vobis.

V: Ecce appropinquat hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Responsory 3

Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem: aspectus eius in eo non est: hic peccata nostra portavit, et portavit, et pro nobis dolet: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: Cuius livore sanati sumus.

V: Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

Lesson 2

VAU.

Et egressus est a filia Sion omnis décor eius:

Facti sunt principes eius velut arietes non invenientes pascua:

Et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentiis.

ZAIN

Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suae et praevaricationis,

Omnium desiderabilium suorum, quae habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hostili, et non esset auxiliator:

Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata eius.

HETH

Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est:

Omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam eius:

Ipsa autem gemens conversa est retrorsum.

TETH

Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui:
Deposita est vehementer, non habens consolatorem:
Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.
Ierusalem, Ierusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

Responsory 4

Amicus meus osculi me tradidit signo: Quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum: hoc malum fecit signum, qui per osculum adimplevit homicidium: Infelix praetermisit pretium sanguinis, et in fine laqueo se suspendit.

V: Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

Responsory 5

Iudas mercator pessimus osculo petiit Dominum: ille ut agnus innocens non negavit Iudae osculum: Denariorum numero Christum Iudaeis tradidit.

V: Melius illi erat, si natus non fuisset.

Responsory 6

Unus ex discipulus meis tradet me hodie: Vae illi per quem tradar ego: Melius illi erat, si natus non fuisset.

V: Melius illi erat, si natus non fuisset.

Lesson 3

IOD

Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius:
Quia vidit gentes ingressas sanctuarum, de quibus praeceperas ne intrarent in ecclesiam tuam.

CAPH

Omnis populus eius gemens, et quaerens panem:
Dederunt pretiosa quaeque pro cibo ad refocillandam animam.
Vide, Domine, et considera, quoniam facta sum vilis.

LAMED

O vos omnes, qui transitis per viam. Attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus:
Quoniam vindemiavit me.

Ut locutus est Dominus in die irae furoris sui.

MEM

De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me:

Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum:

Posuit me desolatam, tota die moerore confectam.

NUN

Vigilavit iugum iniquitatum mearum:

In manu eius convolutae sunt, et impositae collo meo:

Infirmata est virtus mea:

Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.

Ierusalem, Ierusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

Responsory 7

Eram quasi agnus innocens: ductus sum ad immolandum, et nesciebam: consilium fecerunt inimici mei adversum me, dicentes: Venite, mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium.

V: Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi: verbum iniquum mandaverunt adversum me, dicentes:

Responsory 8

Una hora non potuistis vigilare mecum, qui exhortabamini mori pro me? Vel Iudam non videtis, quomodo non dormit, set festinat tradere me Iudaeis?

Responsory 9

Seniores populi consilium fecerunt: Ut Iesum dolo tenerent, et occiderent: cum gladis et fustibus exierunt tamquam ad latronem.

V: Collegerunt pontifices et pharisaei concilium.

Good Friday

Lesson 1

De Lamentatione Ieremiae Prophetae.

HETH

Cogitavit Dominus dissipare murum filiae Sion: tetendit funiculum suum, et non avertit manum suam a perditione:

Iuxitque antemurales, et murus pariter dissipatus est.

TETH

Defixae sunt in terra portae eius:

Perdidit, et contrivit vectes eius:

Regem eius et principes eius in Gentibus:

Non est lex, et prophetae eius non invenerunt visionem a Domino.

IOD

Sederunt in terra, conticuerunt senes filiae Sion:

Consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis,

Abiecerunt in terram capita sua virgines Ierusalem.

CAPH

Defecerunt prae lacrimis oculi mei, conturbata sunt viscera mea:

Effusum est in terra iecur meum super contritione filiae populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi.

Ierusalem, Ierusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

Responsory 1

Omnes amici mei dereliquerunt me, et praevaluerunt insidiantes mihi: tradidit me quem deligebam: Et terribilibus oculis plaga crudeli percutientes, aceto potabant me.

V: Inter iniquos proiecerunt me, et non pepercerunt animae meae.

Responsory 2

Velum templi scissum est: Et omnis terra tremuit: latro de cruce clamabat, dicens: Memento mei, Domine dum veneris in regnum tuum.

V: Petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui

dormierant, surrexerunt.

Responsory 3

Vinea mea electa, ego te plantavi: Quomodo conversa es in amaritudinem, ut me crucifigeres, et Barabbam dimitteres?

V: Sepivi te, et lapides elegi ex te, et aedificavi turrim.

Lesson 2

LAMED

Matribus suis dixerunt:

Ubi est triticum et vinum?

Cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis:

Cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.

MEM

Cu comparabo te?

Vel cui assimilabo te, filia Ierusalem?

Cui exaequabo te, et consolabor te, virgo filia Sion?

Magna est enim velut mare contritio tua:

Quis medebitur tui?

NUN

Prophetae tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad paenitentiam provocarent:

Viderunt autem tibi assumptiones falsas, et eiectiones.

SAMECH

Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam:

Sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Ierusalem:

Haecine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universae terrae?

Ierusalem, Ierusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

Responsory 4

Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me: Quotidie apud vos eram in templo docens et non me tenuistis: et ecce flagellatum ducitis ad crucifigendum.

V: Cumquae iniecissent manus in Iesum, et tenuissent eum, dixit ad eos.

Responsory 5

Tenebrae factae sunt, dum crucifixissent Iesum Iudaei: Et circa horam nonam exclamavit Iesus voce magna: Deus meus, ut quid me dereliquisti? Et inclinato capite, emisit spiritum.

V: Exclamans Iesus voce magna, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

Responsory 6

Animam meam dilectam tradidi in manus iniquorum, et facta est mihi hereditas mea sicut leo in silva: Dedit contra me voces adversarius, dicens: Congregamini, et properate ad devorandum illum: posuerunt me in deserto solitudinis, et luxit super me omnis terra: Quia non est inventus qui me agnosceret, et faceret bene.

V: Insurrexerunt in me viri absque misericordia, et non pepercerunt animae meae.

Lesson 3

ALEPH

Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.

ALEPH

Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.

ALEPH

Tantum in me vertit, et convertit manum suam tota die.

BETH

Vetustam fecit pellem meam, et carnem meam, contrivit ossa mea.

BETH

Aedificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et labore.

BETH

In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.

GHIMEL

Circumaedificavit adversum me, ut non egrediar:

Aggravavit compedem meum.

GHIMEL

Sed et, cum clamavero et rogavero, exclusit orationem meam.

GHIMEL

Conclusit dias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.
Ierusalem, Ierusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

Responsory 7

Tradiderunt me in manus impiorum, et inter iniquos proiecerunt me, et non pepercerunt animae meae: Congregati sunt adversum me fortes: Et sicut gigantes steterunt contra me.

V: Alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam.

Responsory 8

Iesum tradidit impius summis principibus sacerdotum, et senioribus populi: Petrus autem sequebatur eum a longe, ut videret finem.

V: Adduxerunt autem eum ad Caipham principem sacerdotum, ubi scribae et pharisaei convenerant.

Responsory 9

Caligaverunt oculi mei a fletu meo: quia elongatus est a me, qui consolabatur me: Videte, omnes populi, si est dolor similis sicut dolor meus.

V: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor similis sicut dolor meus.

Holy Saturday

Lesson 1

De Lamentatione Ieremiae Prophetae.

HETH

Misericordiae Domine quia non sumus consumpti:

Quia non defecerunt miserationes eius.

HETH

Novi diluculo, multa est fides tua.

HETH

Pars mea Dominus dixit anima meam propterea expectabo eum.

TETH

Bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum.

TETH

Bonum est praestolari silentio salutare Dei.

TETH

Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.

IOD

Sedebit solitarius, et tacebit:

Quia levavit super se.

IOD

Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes.

IOD

Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.

Ierusalem, Ierusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

Responsory 1

Sicut ovis occisionem ductus est et dum male tractaretur, non aperuit os suum: traditus est ad mortem: Ut vivificaret populum suum.

V: Tradidit in mortem animam suam, et inter iniquos reputatus est.

Responsory 2

Ierusalem, surge, et exue te vestibus incundatis: induere et cinere et cilicio: Quia in te occisus est Salvator Israel.

V: Deduc quasi torrentem lacrimas per diem et noctem, et non taceat pupilla oculi tui.

Responsory 3

Plange quasi virgo, plebs mea: ululate, pastores, in cinere et cilicio: Quia venit dies Domini magna, et amara valde.

V: Accingite vos, sacerdotes, et plangite, ministri altaris, aspergite vos cinere.

Lesson 2

ALEPH

Quomodo obscuratum est aurum mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum?

BETH

Filii Sion inclyti, et amicti auro primo:

Quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manum figuli?

GHIMEL

Sed et lamiae nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos:

Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.

DALETH

Adhaesit lingua lactentis ad palatum eius in siti:

Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.

HETH

Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis:

Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.

VAU

Et maior effecta est iniquitas filiae populi mei peccato Sodomorum, quae subversa est in momento, et non ceperunt in ea manus.

Ierusalem Ierusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

Responsory 4

Recessit pastor noster, fons aquae vivae, ad cuius transitum sol obscuratus est: Nam et ille captus est, qui captivum tenebat primim hominem: hodie portas mortis et seras partiter Salvator noster dirupit.

V: Destruxit quidem claustra inferni, et subvertit potentias diaboli.

Responsory 5

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte: Si est dolor similis sicut dolor meus.

Attendite, universi populi, et videte dolorem meum.

Responsory 6

Ecce quomodo moritur iustus, et nemo percipit corde: et viri iusti tolluntur, et nemo considerat: a facie iniquitatis sublatus est iustus: Et erit in pace memoria eius.

V: Tamquam agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum: de angustia, et de iudicio sublatus est.

Lesson 3

Incipit Oratio Ieremiae Prophetae.

Recordare, Domine, quid acciderit nobis:

Intuere, et respice opprobrium nostrum.

Hereditas nostra versa est ad alienos:

Domus nostrae ad extraneos.

Pupilli facti sumus absque patre, matres nostrae quasi viduae.

Aquam nostram pecunia bibimus:

Lingua nostra pretio comparavimus.

Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.

Aegypto dedimus manum, et Assyriis, ut saturaremur pane.

Patres nostri peccaverunt, et non sunt:

Et nos iniquitates eorum portavimus.

Servi dominati sunt nostri:

Non fuit qui redimeret de manu eorum.

In animabus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto.

Pellis nostra, quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis.

Mulieres in Sion humiliaverunt, et virgines in civitatibus Iuda.

Ierusalem, Ierusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

Responsory 7

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum: Adversus Dominum, et adversus Christum eius.

V: Quare fremuerunt Gentes, et populi meditati sunt inania?

Responsory 8

Aestimatus sum cum descentibus in lacum: Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.

V: Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et umbra mortis.

Responsory 9

Sepulto Domino, signatum est monumentum, volventes lapidem ad ostium monumenti: Ponentes milites, quo custodirent illum.

V: Accedentes principes sacerdotum ad Pilatum, petierunt illum.

Antiphons, Benedictus, Miserere and Kyrie: Christus Dominus

Antiphon: Traditor (Thursday)

Traditor autem dedit eis signum, dicens: Quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum.

Antiphon: Posuerunt (Friday)

Posuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Iesus Nazarenus, Rex Judeorum.

Antiphon: Mulieres (Saturday)

Mulieres sedentes ad monumentum lamentabantur, flentes Dominum.

Benedictus

1. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae.
2. Et erexit cornu salutis nobis: in domo David, pueri sui.
3. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt prophetarum eius.
4. Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos:
5. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: et memorari testamenti sui sancti.
6. Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham, patrem nostrum, daturum se nobis:
7. Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.
8. In sanctitate, et iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.
9. Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius.
10. Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remissionem peccatorum eorum:
11. Per viscera misericordiae Dei nostri: in quibus visitavit nos, oriens ex alto:
12. Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Antiphon: Tuam crucem adoramus, Domine, tuam gloriosam recolimus Passionem: miserere nostri, qui passus es pro nobis.

Miserere

1. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.
2. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.
3. Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.
4. Quoniam iniquitatem meam ego conosco: et peccatum meum contra me est semper.
5. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.
6. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.
7. Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.
8. Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.
9. Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humilitata.
10. Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.
11. Cor mundum crea in me, Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.
12. Ne proicias me a facie tua: et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
13. Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.
14. Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.
15. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae: et exultabit lingua mea iustitiam tuam.

16. Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.
17. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.
18. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, et humilitatum, Deus, non despicias.
19. Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion: ut aedificentur muri Ierusalem.
20. Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes, et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Kyrie: Christus Dominus

Kyrie eleison, iii

Domine, miserere.

Christus Dominus factus est obediens usque ad mortem.

Qui passurus advenisti propter nos.

Christe eleison.

Qui expansis in cruce manibus, traxisti omnia ad te saecula.

Christe, eleison.

Qui prophetice promisisti: Ero mors tua, o mors.

Christe eleison.

Domine miserere.

Christus Dominus factus est obediens usque ad mortem.

Kyrie eleison, iii

Domine, miserere.

Christus Dominus factus est obediens usque ad mortem.

Mortem autem crucis.